

De
**ANTIPODIBUS
DISSERTATIO
GEOGRAPHICA,**

Quam
**DEO DUCE
CONSENTIENTEQUE ET ADPROBANTE AMPLIS-
SIMA FACULTATE PHILOSOPHICA,**

**SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI**

Dn. Mag. MAGNI STEENS/
IN INCLUTA ACADEMIA ABOENSI MATHEMATUM
PROFESSORIS REGII ET ORDINARII CELEBERRIMI;
PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI;

PRO GRADU
Publico bonorum examini modeste
desert

ANDREAS PAXS/

In

Auditorio Maximo ad d. 15. Novembris

Anni M. DC. XCIV.

Excusa à Johanne Winter/

Reg: Typogr.

S U M M E
REVERENDO AMPLISSIMO QVE
DOMINO,
**Dn. PETRO LAUR-
BECCHIO,**

S. S. Theologijæ Doctori Consummatissimo,
Regiæ Academiæ Aboensis Rectori Magnifico, ejusdemqve Pro-
fessori Primario Celeberrimo, Prædictæ urbis Ecclesiæ utrius-
que nec non Nummenis Pastori dudum meritissimo, Consistorii
utriusque Adiutori Seniori Gravissimo,
Domino & Mæcenati Magno.

Pariter
plurimum Reverendo & Clarissimo

Domino,

**Dn. JOHANNI KEC-
KONIO,**

Ecclesiæ, quæ Deo in Hvittis colligitur,
Pastori meritissimo, ut nutritio per triennium liberalissimo,
sic evergetæ ac Benefactori multis nominibus colendo.

In venerabundi obsequii, pariter ac observantia debi-
tæ contestationem, hasce pagellas cum voto pio
pro incolumitate Vestræ perenni &c omnigena, offert
& consecrat

VESTRORUM NOMINUM

Humilimus & officiosus Cultor

AND. PRYSS.

INTROITUS AD DISSERTATIONEM.



Nest procul dubio rebus, quas habet Terra Orbis, sua
voluptas, suusque jucunditatis fructus; hinc est,
quod exemplar plenum suavitatis in earum scrutinio
vires experiri judicant facile omnes. Hic certant
laborum socii, amulantur ad meliora nati, singulos ut comite-
tur dignum virtutis premium. Laudem mereri dixeris tantos
conatus, gloriam ego affirmaverim, si quo volo, dirigantur ul-
terius. Est sedes, in quam Natura parens tot rerum agmina &
virtutes congesit, per ampla satis & sua magnitudine no-
tabilis, cuius globum pulcherrimamque molem digne contem-
plari, opera cumprimis erit pretium. Sunt vasti Oceani per
orbem ambages admiratione digne; prostant ubique Regio-
nes, Valles, Montes non in firmo tantum solo, sed & in aquo-
re sparsi. Et hec, si altius ire animus sit, minutias dixerim.
Nam si ob stupescis aspectu fluctuum litora sua circumquaque
pulsantium, miraris populos per Regna, per regiones latissime
fusos, bares ad camporum amœnitatem, fertilitatem agrorum,
vasitates montium; anne hic limites admirationis ponendos
esse existimes, si & hec omnia, ne dicam transversa & obl.
qua, sed obversa nobis stare consideres? Adeo jam nefas est,
rerum aliarum scrutari indoles; illius autem, cui queque sua
debent, habitudinem sicutum & ordinem ignorare. Evidem per-
magni est laboris, cui nec plurimum etates sufficere possunt, in
re tanti momenti, digne versari; ut mirum, ne iis, qui hoc
operis animo primum volverunt, illud in mentem venerit Virgilis:

Terribiles vita formæ letumque laboque;


Nam hic quo plus habet molestia, ita in voto est magis,
ut longius differatur istud; quia autem omnes in unius rei fu-
gacis ac lubrica possessionem Natura misit, quod operis prior
etas saltem aggressa est, sequens continuabit, ultima vix per-
petiet.

ficiet. Quod certe in Geographia studio pro verissimo habetur; nam ut magna fuit Priscorum fides in describendis terrarum plagiis, ita eam multis modis superavit docti hujus seculi industraria, sed pariter Mundi remoti arcana futuris Temporibus aperienda relinquere habet necessarium. Hec tamen hujus evi est gloria, quod quemadmodum in tribus illis Orbis partibus ilustrandis plus Antiquis felix fuit nuperrima Magnorum Virorum cura, ita aliarum etiam, quas prioribus insuper adjectit, notitiam nobis prebuit haud mediocrem. Hinc innumera dubia, que pro immotis rationibus Veterum plerique habebant, bodie detecta sunt. Quod vel de Antipodibus in aperto est. Qui enim illis temporibus hos assertebat, quid aliud, quam quod vel somnium narrabat Lactantius, vel Augustinus fabulans; immo vanus & stolidus omnibus est habitus. Sed quam fuit olim in schola Veterum nihil hujus Argumenti assertione abjurdius, tam bodie inter Eruditos nihil ea est aut certius, aut dignius. Et certe divini quid ei inesse credas, quod à Priscis ulla ratione intelligi, noscates autem diutius latere non potuerit. De quo Argumento quum aliquid exponere constitui, fateor ampliores Ejus esse terminos, quam ut ad illos in hac Angustia temporis possim expatiari; attamen hoc tantum ad ejus illustrationem me collaturum spero, si principio, quid occasionem dedit Antiquis negandi Antipodes, Postea quid sunt, Equibus rationibus esse probantur, denique quosquevis natione babeat, ostendero. Tuum autem erit Candidissime Lector et quum de bise ferre judicium.



MEMBRUM PRIMUM.

§. I.



Mbigi adeo non potest Veteres quos-dam negasse Antipodes , ut id ipsum ex scriptis eorum plus satis in confessio sit. Et quidem si in ipsorum sententias subactior paulo inquisitio instituenda sit, duo earum genera deprehendemus. Quidam enim Antipodes omnino negarunt, aliis eos ad nostrum genus spectare inficias euntibus. Horum in numero fuerunt ipse Cicero & Commentator Ejus Macrobius. Toti enim dum in eo occupati sunt, ut ostendant duas tantum ex Quinque ambitus Terreni Zonis, esse habitabiles, nostram borealem & australem nobis oppositam; existimant, quemadmodum septentrionalis & Australis extremitas perpetuā obrigent pruinā, ita medium cingulum continui caloris afflatu perustum ob vehementiam fervoris victuris esse incommodo. Unde, insit Macrobius, *interj:ta*, zonis puta temperatis, torrida utrique hominum generi, commercium ad se denegat commeandi. Qvo stante, concludunt eos, qui in Australi degunt parte adversaque nobis urgent vestigia, nihil ad nostrum genus spectare. Quale autem genus hominum illos esse voluerint, haud liquido constat. Non ambe zone, inquit Macrobius, *hominiibus nostri generis indulta sunt,*

sed sola superior (borealis) incolitur ab omni, quale scire possumus, hominum genere, Romani Graeive sint, vel Barbaria cujusque nationis. illa vero (Australis) sola ratione intelligitur, quod propter similem temperiem similiter incolitur. Sed à quibus non licuit unquam nobis, nec licebit cognoscere. Verum præter omnem Magni alioquin Viri opinionem res cecidit secius. Nam & Zonam Torridam penè totam habitari immotis rationibus probari potest, & Terræ Australis incolas nostri generis esse navigationibus compertissimum habetur, quemadmodum paulo fusijs id infra urgendum.

§. II.

Antipodes autem negabant superioribus seculis præter rerum imperitiores etiam Doctissimi multi. Nec ab illis dissentiebant Nazianzenus, Augustinus, Lactantius & aliquando tota Christianorum Ecclesia. Testatur Aventinus Bonifacium Episcopum Moguntinum eō animi zelo aliquando flagrasse, ut cum ad aures ejus pervenit Virgilium, Episcopum Salæburgensem in Concionē quadam Antipodes asseruisse, prius mitigari non posset, quam Utilonem Bojorum Regem & Zachariam Pontificem Romanum accusationibus suis eō induxit, ut Virgilium Ecclesia ac Templo prohibitum vitam agere privatam juberent; veriti, ne Antipodibus assertis, novum quoque Christum comminiseretur.

§. III.

Qvare autem Prædicti veteres tantopere in id nitebantur, ut sententiam quæ Antipodes asserebat, irent destruētam, causam augorū fuisse variam. Nam primo Terræ Globositatem in dubium revocabant, aliam ipsi qvamcunque figuram affingentes. Visa enim cuidam fuit Tympano, uni Cylindro, alii Schaphæ, nonnullis vel Tetragonæ, vel Hexagonæ similis; imo Democritus excavatam putavit Terram, Empedocles vero planam. Quibusdam placuit radicibus eam niti

niti, quos inter Lactantius & Augustinus. Ægyptii denique, ut testis est Macrobius, cum Terram Hieroglyphicis literis significare volebant, bovis figuram posuerunt. Qui & videntur fabulae locum fecisse, quæ traditur Argus per ambitum capitis, innumeris oculorum ornatus luminibus, custodisse Junonis imperio Inachi filiam, ejus Deæ pellicem conversam in bovis figuram. Sub cujas cortice hanc expositionem latere innuebant: Argum ob candorem & velocitatem cœlum esse candidissimis luminibus distinctum, quæ vice sunt oculorum, de super excubias Terræ bovinâ figura præditæ diligentissime agentium. Hunc autem errorem irreplisse cumprimis constat vel ex non satis intellecta natura cœli sphærica, vel ex neglecto positu siderum. Etenim prius quod attinet, præterquam quod commode dici possit, cœlum cum omni eo quod vastissimo suo tegit ambitu πρωτότυπον suum respicere, hac ratione: ut quemadmodum illud principii & finis expers est, ita hoc per Sphæricam suam formam, nec principium nec finem habet; etiam hoc addere non erit inconveniens, quod forma cœli tot infinitorum corporum capacissima, qualis cavitate sua visui nostro ubique obijicitur, talis & non modo existit, sed etiam insolubilis causa creditur, quæ naturalis societatis amplexibus omnia reliqua corpora sibi conformat. Cumprimis autem hæc ejus figura in collatione ad terram ceu centrum suum conspicua fit. Nam quia & extrema est & sphæralis, punctum habet imum & medium quod terra est, à cujus parte quavis æqualiter distat. Quæ mutua vice, quia Sphærica & centrum Mundi existit, sphæralem exigit extremitatem, sine qua tale quid esse nequit. Hæc autem cœlum est, quod quia rotundum, jam terram ejusdem figuræ esse necesse est. Nec robur addet sententiae priscorum, quod in ea vel montes, vel speluncæ & subterranei meatus inveniuntur. Nam ponatur mare va-

stissimam in superficie terræ excavasse speluncā, Montes etiam reperiri in cœlum duobus aut tribus milliaribus erectos, tanto tamen minus hoc erit in comparatione totius terræ in circumferentia sua millaria Germanicas 400, habentis, quanto magis altissimi montis magnitudinem vel distantia unius milliaris eludit. Posterius autem istud si respiciemus, certum est, eos qui rotunditatem Terræ negarunt, ita non attendisse vel stellarū ortus & occasus diversitatem pro locorum & climatum varietate, vel apparitionem qvarundam stellarum & occultationem perpetuam, ut ex iis accuratum hac de refieret judicium. Nam ex priori isto facilimum est intelligere globositatē maxime terræ convenire, quando orientalibus populis sidera prius oriri & occidere ocyus, quam occidentalioribus advertimus. Ex hoc autem videmus ipsam sphæralem terræ figuram facere habitantibus, illis exceptis qui sub Aeqvatore in Globo recto degunt, hanc diversitatem, ut quasdam stellas habeant apparentes, quasdam verò latentes. Locus enim, quem quisque inhabitat, ita positus est, ut quædam stellæ ex ipso nunquam possint videri. Qvia ipsa pars cœli in qua sunt, nunquam potest hic habitantibus apparere. Pars enim hæc terræ, quam vel nos incolimus ad septentrionalem verticem surgit, & sphæralis convexitas australē nobis verticem in ima demergit, quemadmodum huic etiam consonat illud Poëtæ:

*Hie vertex nobis semper sublimis at illum
Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.*

S. IV.

Deinde si vel ipsis Antiquis in mentem demum venisset, Mundum esse figuram conglobatam & rotundam, nulla tamen ratione consequens esse putabant Antipotes dari, præterea quod terram regionibus sibi cognitis obversam ab aquarum congerie liberam esse non crediderunt. Præterea si etiam nudam posuissent, neque hinc statim necesse ipsis opinio

nō fuit, ut homines haberet. Imo & absurdum dicere, & supra vires humanas positum ducebant, aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajectā, navigare ac pervenire posse. Scilicet, quia vel falso nixi fundamento Terram planæ, trilateræ vel quadrilateræ esse formæ, credebant eum qui navigationem instituebat, eum ad extremitatem lateris pervenisset, præcipiti lapsu in profunditatem abyssi casurum; vel etiam concessâ circulari terræ formâ, talem in cœlum & nescio quæ loca naturæ incognita prolapsurum. Denique quia videbant aditum nulli eorum qui Borealem hanc fasciam incolunt, ad Australes illos patere, sequi inde necessario existimabant illos de genere Adæ non esse, proinde, quam premi argumento adeo difficiili, Antipodes negare malebant. Hæc omnia tamen gratis ab iis affirmari jam dudum edocuit optima rerum Magistra. Nihilominus in hoc excusari possunt, quod fatis, quin omnia experiri valebant accuratius, hæc gloria ipsis denegata fuit; utut consideratâ cum Antiquorum in describendo terrarum orbe, diligentia, & imperiorum ad inqvirendas Regiones commoditate, tum dira mortalium auri Argentique cupidine, nihil non tentante, tam diu Amplissimam globi terraqvei partem, nostrum orbem latere potuisse, non semel mirati fuerunt viri & optimi & doctissimi.

MEMBRUM SECUNDUM.

§ I.

ITa variis qvorundam Veterum hac de re sententiis sive recitatis, sive remotis, paucis pariter, qua potissimum ratione describi, quibus item argumentis indubie probari possint, opera pretium est disquirere. Et quia in more positum est, ea præcipue, qvæ ad Definiti illustrationem faciunt, præmittere, e re forte erit paucis etiam illa attendere. Rationem

tionem Etymi quod attinet, patet vocem Antipodum esse originis Græcæ, & descendere ab αντιπόλει & πόλει unde singul. Est αντίπολες pl. αντίποδες, eo quod pedes nostris directe obvertant. Quoad Homonymiam, nihil equidem, quod deprehendi potest, ad illam habetur. Id tamen notasse juvabit, quod Seneca homines luxuriæ deditos facete admodum Antipodibus assimilat, eo quod noctes perversa vigilia exigant, contra alto sole semilombes jacentes, medium etiam diem tempus antelucanum habeant. Sunt, inquit, qui officia lucis noctisque pervertunt: nec ante diducunt oculos besterna graves crapula, quam appetere nox cepit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, ut ait Virgilius, sedibus nostris subditos e contrario posuit.

Nosque uti primus equis oriens afflavit anhelis

Illi sera rubens accendit lumina vesper:

Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in eadem urbe Antipodes, qui ut M. Cato ait, nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem. Epist. CXXII. Tales autem Antipodes cum ubi vis obviā sint, nemo facile negavit, ut ut de ceteris non parum dubitatum fuerit. Denique Synonymiam quod spectat, dicuntur Antipodes alio nomine Αντίχοες. Observandum tamen Veteres hac appellatione non solos Antipodes innuisse, sed omnes qui oppositam terram Australēm inhabitare credebantur, etiam si in superiori nostro degerent hæmisphærio. Quod etiam notavit Plinius: *Taprobanem alterum Orbem terrarum esse diu existimatum est Antichthonum appellatione.* Lib. VI, Cap. 22. Hos forte intellexit Ludovicus Vives cum incolas Insulae Taprobanæ ut & aliorum Locorum Antipodes nominat, cum tamen tales proprie non sint, quemadmodum id infra dicetur.

Sunt autem Antipodes, qui habitant in oppositis parallelis & diversis Meridiani semicirculis, hoc est, qui opponuntur

tur e diametro, pedesque habent pedibus directe obversos.
 Quomodo autem à Periœcis & Antœcis differunt, vel illinc
 liqvere potest. In hujusmodi situ quædam nobis commu-
 nia cum Antipodibus sunt, nonnulla vero illis nobis contraria
 accidunt. Prius sic apparet: Quemadmodum nos qui hauc
 terrarum partem incolimus, calcantes humum cœlum ha-
 bemus super verticem, sol nobis & oritur & occidit, cir-
 cumfusi denique aeris spiramus haustum; ita eadem Anti-
 podibus evenire credendum est. Nam & illi ejusmodi
 spirant auram: Idem sol illis & obire dicetur nostro ortu, &
 oritur cum nobis occidit: Calcabunt æque ac nos humum &
 super verticem semper cœlum videbunt. Nec ideo crasse
 existimandum est ipsos, quia nobis obvertunt pedes, in cœlum
 casuros, hoc enim & ex illis aliquis rerum imperitior de no-
 bis somniare potest, nec tamen propterea quisquam nostrum
 timuit, ne in cœlum caderet. Hinc nec apud illos aliquem
 easurum facile affirmabit, qui considerat in Globo vel circu-
 lo nil sursum esse nihil etiam deorsum. Nam si cœlum Sursum
 habetur, quemadmodum & Antipodibus super verticem est,
 terra autem deorsum, nunquam in superna aliquando præci-
 pites fient. Quocirca indubitato constat nos convenire cum
 Antipodibus in quantitate altitudinis Poli & in idenditate
 Horizontis, qui utrisque idem est, utpote descriptus ex iis-
 dem punctis Verticalibus; nam uti nostri Antipodes à no-
 bis, ita nos ab illis 180 Circuli maximi gradibus disjungimur.
 Posterius autem illud per se patet: Nam propter contrarium
 situm etiam Anni temporum incipientium & desinentium,
 crescentium & decrecentium dierum ac ortuum occasuum
 que rationem contrariam habent; idque inde, quia unius
 Nadir est Zenith alterius, quaque uni est elevatio Poli Bo-
 realis, tanta est alteri altitudo Australis, orienteque uni sole,
 alteri occidit, occidente autem oritur.

Hic levissime sic positis, ulterius, ne existimetur frustra
 hæc à nobis affirmari, Antipodes esse nitimur ostendere tribus
 argumentis invictissimis. Primum sit desumtum ex sana ra-
 tione. Quiequid potentissima manu sapienter condidit
 Creator optimus, illud ita constrinxit, ut situm quem pro-
 pria cujusque indoles duxit optimum, suo natu affectaret.
 Sic quod summa residet sede, vastitate non minus quam puritate
 cetera omnia excedens, æther vocatur; Quod autem ab hu-
 jus puritate non nihil recedit, utopte rebus refertum innu-
 meris intraque cœli cavitatem terram undique ambiens, aer
 existit & secundum locum tenet. Post hæc pars adhuc li-
 quida est, sed in aquæ fluxum coagulata, quæ ut ut limi-
 tum fere nescia sit, in sublime etiam scandat, & cœlum deni-
 que sibi vendicare videoatur, fundo tamen carere nequit.
 Tandem ipsa terra corpus crassum satis, impenetrabile & gra-
 vitate omnia vincens fulcrum & firmamentum rerum quas si-
 nu suo coercet, in imo hæret. Hoc igitur infimum est, puncti
 saltem in collatione ad cœli amplitudinem, speciem referens;
 nihilominus tamen medium existit; etenim quod tale in sphæ-
 ra est, hoc & constat imum esse: Et quia istud, sequitur sponte
 sua omnia in hunc locum pondera ferri debere. Res exem-
 plu patebit ulterius: Dubium esse non potest, qvin liqvor
 pluvialis in quacunque parte aeris universum orbem ambien-
 tis decidat; quia si nubes nihil aliud est, quam atomorum
 aquearum congeries, quæ frigore condensata & variis modis
 coacta demum abrumpit in imbres, id, omnino aliter fieri
 nequit. Existimaret ergo aliquis, quia Terram ut Globum
 in medio Mundi concipimus, extra hanc superficiem qvam
 incolimus, qvicquid nivium imbriumve cadit, hoc omne de
 aere in cœlum defluere, qvum istud sicut à nostro habitatio-
 niſ loco, ita cum à lateribus, tum à parte nobis contraria
 pari

pari altitudinis immensitate suspicitur. Quod euidē procul dubio affirmandum esset, nisi omnia pondera nutu suo in terram ferri constaret. Iam autem liquet non in hanc solum, quam incolimus superficiem, sed & in latera, quibus in terra globositas sphæralis efficitur, & in alteram partem nobis obversam imbrum casum esse. Quibus prælibatis, quid sentiendum de Antipodibus sit, haud obscure colligitur. Nam si imbræ ex inferiori cœli hæmisphærio in terram, quæ ad nos est inferior, decidunt, ibique subsistere possint, facile etiam obtinebimus homines in illa terræ parte sedem habere fixam, qualis & nobis est. Quod cum ita sit, nihil obicit hac in parte nostræ sententia poni posse speramus.

§. IV.

Proximum merito probationis locum sibi vendicat ipsa Experiencia, quæ ut omnium rationum Epiphonema est & complementum, ita rei tot seculis dubiæ fidem faciet certissimam. Illa autem navigationibus hodie habetur. Totum enim Globum Terraqueum quoad suam amplitudinem non una vice circumnavigatum esse constat. Deliberavit autem aliquando de expeditione versus terras incognitas, successu forte post fata feliciori Ferdinandus Magellanes Lusitanus, qui fretum sui nominis sub Auspiciis Caroli V. Imperatoris aperuit. Hic Anno 1519. egrediebatur portu Hispanensi cum quinque navibus, penetransque fretum ante hoc tempus in cognitum, per mare pacificum vulgo del Zur ad insulas Moluccas pervenit, ubi veneno est extictus. Ex quinque ipsis navibus unicam, quæ Victoria est dicta, reduxit Sebastianus Canutus, eundemque sevilia portum 1522. est ingressus postquam per tres Annos maritimo itinere totam ambivisset terram; recepit autem ab Imperatore catenam auream cum simulacro Mundi & hanc inscriptione: Primus circumdedisti me. Motta le valier nella Geografia de Principe Cap. 22. Deinde idem negotium suscep-

pit qvidam Anglus Franciscus Draco, diebus 1056. suum iter absolvens ab Anno 1577. Postea Tomas Candisch pariter Anglus diebus 777. Anno 1586. peregrinationem suam peregit. Post hæc Anno 1597. totum terræ circulum lustravit Simon Cordes Roterodamus; & Anno sequenti Olievir von Noort Batavus intra dies 1077. Porro Vilhelmus Cornelius Schotus cum Jacobo leMaire, fretum cui postea suum nomen dedit diebus 749. Anno 1615. emensus est. Post hos autem navigationem instituerunt Jacobus Heermatton & Johannes Hugen duabus navibus, eandemque diebus 802 Anno 1623. absolverunt. Quorum facit mentionem Erhardus Veigelius in specul. Terra Cap. 5.

S. V.

Robur probationi nostræ tertio addet, quod compertissimum sit & viam ad Antipodes esse & hos originem ex nostro Orbe trahere. Iter ad illos patere terrestre suspicari quis posset, si ostendere præsumat Asiam Americæ alicubi coherere. Sunt enim qui fretum Anian, quo ante hæc tempora Asiam & Americam sejungi creditum est, omnino non esse contendunt. Qvicquid fuerit, sufficiet nobis per fretas horas oras esse detectas posteaque occupatas. Memorat Ludovicus Vives etiam veteribus quibusdam viam ad Terras oblique sibi respondentes innotuisse. Nam olim, inquit, per Arabicum sinum quidam Augusti Cæsaris potentiam fugientes perque imam Æthiopiam mareque Atlanticum ad Gades Herculis enavigarunt: Contra florentibus rebus Carthaginem sum, aliqui ex eis ab Herculeo fredo in Arabicum mare rubrum: tum etiam Persicus sinus & Indicum Eoumque mare Alexandri armis est exploratae, Insulaque Taprobane & alia in illis tractibus nonnullæ, que ex positu cœlorum & siderum deprehenduntur Antipodes esse nobis. In Not. ad Lib. XVI. Cap. 9. Augusti. de Civit. DEi. Ubi tamen vocem Antipodum impolie accepisse videtur, cum Anglia ubi vixit Vives ascendat ad

ad 15. Grad. Elevationis & 50. sed v. g. Taprobane hodie Sumatra minimam sui partem ab Eqvatore Meridiem versus descendat: Nihilominus hoc ipso intendit iter ad Antipodes neque priscos latuisse, si modo illud ingredi animum induxissent. Americam autem Septentrionalem ex Gronlandia primos accepisse incolas & Mexicanos Norvagorum per Gronlandiam propaginem esse suspicio fuit Hugoni Grotio; quam tamen refellit G. Hornius ex Johanne de Laet, tanquam minime sive rationi temporum, sive moribus & lingvæ vel antiquorum traditionibus congruat. Alii iterum ab occidente per Novam Zemblam & Gronlandiam sed non ex Norvegia; Nonnulli per Orientem ex China, Japponia per Terram nuper repartam cui nomen Eso colonos in prædictas Terras migrasse existimant. Sed & horum auctoritatem si non damnat, dubiam tamen reddit Clariſ. Hornius, suam de hac re substituens sententiam: *In universum Insulanos America & multas in continente gentes à Phenicibus eorumque Colonis Carthaginensis ortos luculentis demonstrari potest argumentis. Reliqua multitudo manifesta Schytica seu Tartarica originis argumenta pre se fert, præcipue Mexicanis, Peruani & Brasilienses: Nec dubium est, quin ex Britannia quoque, cum Saxonés illam destruerent, multi profugi in Novum Orbem delati fuerint; nec non ex Hispania, cum illam in Saracenica illa tempestate.* In Tractatu cui Inscriptio: Orbis Imperans, pag. 328. Quâ nec alia haberi potest commodior. Neque ei obstat quod à nostri orbis populo distincti sint lingvâ, moribus & vestitu Corporis, quum sciamus nationibus longissime ab invicem dissitis id tanto facilius contingere, quanto vel in una gente nihil experimur istis fieri frequentius.

§. 6.

Tantum igitur abest ut Antipodes aliquis neget, ut ne quidem dubitari de iis possit amplius. Num vero nobis den-

tur, supererit disquirendum. Quin vastissima orbis pars vē, sū
 polum Australē Europē nondum satis cognita restet, hinc
 extra dubium est, quod eminus navigantibus amplitudo ejus
 notari quidem possit, coram autem lustrari propter incola-
 rum ferociam nequeat. Si igitur dicendum quod res est, ni-
 hil ultra, quam quod pars Terræ Australis nostris regionibus
 respondet, novimus. Adeo igitur qua interiora amplissima
 hæc orbis Terreni plaga adhuc fere jacet tenebris im-
 mersa. Fertur quidem Hispanus nomine Ferdinandus del
 Qvir Regi Hispaniæ exhibuisse accuratam earum terrarum
 descriptionem, in quibus se diu vixisse dixerat, ut ejus men-
 tionem facit Cl. Hornius; sed & de eodem hæc notat alius;
 Ferdinandus de Qvir plus omnibus in Australibus hisce regio-
 nibus detegendis felix fuit, qui quoque in suis itinerariis
 gloriatur se notasse litora barum regionum ultra longitudinem
 10000. Leucarum; illisque adsignat Europā & magna Asia parte
 majorem, quamvis non videatur innuere nisi partes illas
 que sub linea aequinoctiali sunt aut trans illam in Zona tor-
 rida. Quod si maximam incognita bujus terre vastitatem
 consideremus, ab aquatore in aliquibus locis ad Antarcticum
 polum & ab oriente versus occidentem, necessum ut illam con-
 cipiamus ampliorem multo quam pro descriptione Hispani bu-
 jus; est enim si adjecteris que detegenda restant in America,
 tam qua interiora eorum, quorum non nisi litora novimus (puta
 ultra Qviriram & Canadam seu Estotilant) quam qua bas-
 plagas versus polum transcendunt, cum omni quod hactenus
 aditum non est inter polum Arcticum & Europam cum Asia
 junctam; apparebit procul omni dubio nos vix dimidii hujus
 Terraque Globi notitiam habere, nec tres basce partes veteris
 Mundi una cum novo istboe, quem Indiam Occidentalem ad
 pellamus, plus terrarum occupaturas, quam quod etiamnum
 restat

(13) 25

restat futuris seculis aperiendum. Motta le Vaijer nella
Geografia de Principe Cap. 73.

MEMBRUM TERTIUM.

Allatis ita pro ratione instituti Argumentis Antipodes ad strumentibus, à scopo non erit alienum, si veluti in tabella quadam viderimus quæ Regiones Antipodes habent quæ vero non. Ubi si Australem terram nobis fere incognitam exceperis, paucissimas Regiones sibi e diametro respondeare apparebit. Adeo mirum est vastissimi Orbis portiones tantum alias & fragmenta inhabitari, reliqua mole aquis cooperata, ut non nisi justa de causa hæc quondam dixerit Plinius: *He tot portiones Terræ, imo vero ut plures tradiderrunt, mundi punctum (neque enim est aliud terra in universo) hæc est materia gloria nostræ, hæc sedes, hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuantur humani genus, hic instauramus bella etiam Civilia mutuisque cedibus laxiorem facimus terram.* Lib. 2. Cap. 68. scilicet, præterquam quod oceanus superius Terræ hemisphærium per insuulos meatus ambit, etiam inferioris intra æquatorem & terras Australes maximam partem tenet. Prius autem quam ulterius progredior, fatendum erit non quævis loca accurate hic notari posse, id enim vel brevitas, cui maxime litandum duxi, prohibet, vel opus fere frustraneum, cum pluribus Regionibus nil nisi mare est oppositum, dissimilat, præcipue quum & alias, certo in Globo assumto loco, Urbe vel regione cujusvis Regni, appareat, quantum ad institutum sufficit.

EUROPA.

Locorum Nomina,	Long. Lat. Bo.	Antipod.	Long. Lat. Austr.
	0° 0'	0° 0'	0° 0'
Hisp ^{ia} vg. Toledo,	13. 0. 40. 45.	193. 0. 40. 45.	
Portugallia	Conimbr ⁱ ,	9. 0. 40. 10.	189. 0. 40. 10.
Gallia	Paris	10. 0. 48. 15.	His respondet 200. 0. 48. 15.
Britannia	Londinū Angl.	10. 20. 51. 32.	Terra Australis 190. 20. 51. 32.
Norvegia	Dronten,	29. 30. 64. 0.	207. 30. 64. 0.
Svecia	Holmia,	34. 0. 59. 30.	214. 0. 59. 30.
Finland,	Aboa,	39. 40. 61. 13.	219. 40. 61. 13.
Lapponia,	Finnarchia,	35. 0. 69. 0.	215. 0. 69. 0.
Dania,	Hafnia,	25. 50. 55. 15.	205. 50. 55. 15.
Germ. sup.	Heidelb. Palat.	27. 30. 49. 0.	207. 30. 49. 0.
Belg. s. G. infer	Antuerpia,	22. 50. 51. 0.	202. 50. 51. 0.
Polonia,	Moldavia,	47. 30. 47. 30.	227. 30. 47. 30.
	Borussia,	39. 0. 53. 20.	His partim Ter- 219. 0. 53. 20.
	Podolia,	48. 30. 46. 10.	ra Austr. partim 228. 30. 46. 20.
	Curlandia,	40. 0. 56. 10.	Mar. Pacifi- 220. 0. 56. 10.
Hungaria	Alba Regal,	35. 10. 47. 18.	cum. 216. 10. 47. 18.
Transsylvania,	Roma,	41. 30. 46. 20.	221. 30. 46. 20.
Italia,		30. 0. 44. 20.	210. 0. 44. 20.
Helvetia,		26. 0. 46. 50.	206. 0. 46. 50.
Istria,		32. 50. 45. 40.	Omnibus his 212. 50. 45. 40.
Croatia,		34. 20. 45. 50.	Terra Austr. op. 214. 20. 45. 50.
Dalmatia,		36. 30. 43. 30.	penitur 216. 30. 43. 30.
Bosse ^a ,	Pleiskia;	36. 0. 44. 30.	216. 0. 44. 30.
Servia,		40. 0. 43. 50.	220. 0. 43. 50.
Walachia		44. 10. 45. 20.	His partim 224. 10. 45. 20.
Moscovia,		51. 0. 57. 0.	Terra Australis 231. 0. 57. 0.
Romania,	Macedon,	48. 0. 43. 20.	partim M. Paci. 228. 0. 43. 20.
Gracia,	Morea,	42. 30. 41. 38.	carum, 222. 30. 41. 38.
		42. 30. 38. 0.	222. 30. 38. 0.

Loco-

AFRICA.

<i>Lectorum Nomina,</i>	<i>Long.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Bo.</i>	<i>Antiped.</i>	<i>Long.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Auf.</i>
<i>Barbaria</i>	Marocci	9. 0.	32. 0.		189. 0.	32. 0.	
	Fessæ	12. 0.	33. 15.		192. 0.	33. 15.	
	Teleusinū	19. 0.	34. 0.	Terra Australis	199. 0.	34. 0.	
	Tunetanū	26. 0.	35. 0.		206. 0.	35. 0.	
	Barchæ	45. 0.	30. 30.	M. Pacificum.	225. 0.	30. 30.	
<i>Biledul-</i>		22. 0.	29. 30.	pars Terra Aust.	202. 0.	29. 30.	
<i>gerid.</i>	Gyalata	4. 0.	31. 50.	Terra Australis	184. 0.	21. 50.	
	Hoden	4. 30.	19. 25.		184. 30.	19. 25.	
	Genocha	3. 30.	18. 0.		183. 30.	18. 0.	
	Tombuti	10. 0.	15. 0.	M. pacificum	190. 0.	15. 0.	
	Melli	6. 30.	11. 25.	vulgo, del Zur.	186. 30.	11. 25.	
	Gvinea	16. 30.	7. 25.		196. 30.	7. 25.	
<i>Nigriturū</i>	Dauma	22. 30.	8. 30.	Ins. Salomonis	202. 30.	8. 30.	
<i>Regne</i>	Cano	23. 0.	16. 25.	Mare del Zur	203. 0.	16. 25.	
	Cassena	28. 25.	14. 30.		208. 25.	14. 30.	
	Benin	27. 0.	9. 27.	Malarta Insula	207. 0.	9. 27.	
	Zenfara	33. 29.	12. 26.	M. del Zur.	213. 29.	12. 26.	
	Berno	41. 0.	18. 20.	Insule quas	221. 0.	18. 20.	
	<i>Magellanes, quia nullum hominem ibi invenit Infortunatas vocavit.</i>						
	Nubia	48. 0.	15. 0.		228. 0.	15. 0.	
	Biafra	36. 30.	6. 50.	Mare del. Zur.	216. 30.	6. 50.	
	Medra	43. 0.	7. 0.		223. 0.	7. 0.	
	*Dafila	61. 0.	17. 20.		241. 0.	17. 20.	
	Barnagasso	61. 0.	14. 20.		241. 0.	14. 20.	
	Dangali	69. 0.	10. 20.		249. 0.	10. 20.	
*Æthiopia	Dobas	67. 30.	9. 30.		247. 30.	9. 30.	
Superior	Trigemalions	58. 30.	9. 0.		238. 30.	9. 0.	
	Anbioncan-	48. 30.	6. 50.	Mare' del. Zur.	228. 30.	6. 50.	
	Vangve (tiva	46. 20.	23. 30.		226. 20.	23. 30.	
	Belegvanze	57. 0.	2. 50.		237. 0.	2. 50.	
	Angote	62. 30.	5. 0.		242. 30.	5. 0.	
	Balli	69. 0.	8. 0.		249. 0.	8. 0.	
	Fatigar	67. 30.	4. 0.		247. 30.	4. 0.	
	Olabi	63. 30.	3. 30.		242. 30.	3. 30.	
	Baru	64. 30.	2. 30.		244. 30.	2. 30.	

(18)

Reliqvæ parti hujus Aethiopiz ut & toti Aethiopia Inferiori respondet Oceanus occidentalis.

Locorum Nomina, Long. Lat. Bor. Antipod. Long. Lat. Austr.
Ægyptus v. g. Bethsemes 59.0.28.40. toti respondet M. del Zur 239.0.28.40.
(Asiatica) A SIA.

Sarmatia intra 70. & 100. 46. & 60. Terra Magellanica 250. & 280. 46. & 60
Tartaria intra 85. & 170. 35. & 70. Huic respondent 265. & 350. 35. & 70.
ad Austrum Terra Australis ab occid. Terra Magellanica, ab Oriente
M. Pacif. ad septentrionem in America M. Patagonum Regio tota,
China intra 130 & 154. 20. & 54. 310. & 334. 20. & 54.
Ei opponuntur in Amer. pars Timbuja, Ascention, Paraqv. Morp.
Cor. Tocuman. Paragua, & magna pars freti Magellanici.

India intra intra 166. & 120. 22. 35. In America Merid. 346. & 300. 22. & 35.
Gangem. P. velas. R. de S. Clara, S. Felix S. Ambros. P. de Corona Topocalma &c.
India extra intra 120. & 129. 23. & 35. In America 300. & 309. 23. & 35.
Gangem, Meridionali opponuntur Chicas & Chili, Los Andes.

Persia intra 70. & 116. 24. & 43. 250. & 296. 24. & 43.
Huic toti fere contrarium est M. Pacif. ad Americam vero Mer.
Insula de S. Maria, Ins. Mocha P. de Galera.

Turcia intra 50. & 90. 12. & 45. 230. & 270. 12. & 45.
Ei partim Mare Pacificum partim fretum Magell. obversa sunt.
* Sumatra, in 125. Grad. Long. Latit. o. quum Äquator. eam per-
transeat; E. regione est Cassiopagotes ad Boream, & Ama-
zonum Regio ad Austrum.

Corea intra 152. & 156. 32. & 40. 332. & 336. 32 & 40.

* Insula circa In- habet ex adverso ins. dos Castillanos, nec non Rio de la
dias orientales Plata

principie Japan intra 157. & 171. 32. & 37 337. & 351. 32. & 37.
Fretum Magellanicum sibi habet oppositum,

Ins. per Occanum
orientalem dispersæ:

Borneo intra 135. & 142. Longit. in Latitud. a. gradi 7. versus
Boream habet Charibanan sibi obversam.

Java major intra 130. & 140. 7. & 11. 310. & 320. 7. & 11.

Opponitur ei Aroras, Arovacas, La Trinidad.

Gilio 152. 2. o. Mare del Norte 332. 2. o.

DEO GLORIA.